



*Trascricción y traducción parcial / Transcripció i traducció parcial / Transcription and partial  
translation / Transcrição e tradução parcial / Trascrizione e traduzione parziale  
/ Transcription et traduction partielle*

1319, diciembre 14. Tarragona

Estatuto aprobado por el rey Jaime II para que los reinos de Aragón y Valencia, el condado de Barcelona así como el dominio directo y los derechos reales en el reino de Mallorca y los condados de Rosellón y Cerdaña, Conflent y Vallespir, y los vizcondados de Omeladès y Carlat, permanezcan siempre unidos y bajo el mismo dominio.

*ACA, CANCELLERÍA, Registros, NÚM. 217, fols. 224r-225r.*

Ne Regna et Comitatus dividantur

In nomine Domini. Amen. Noverint universi quod Nos, Jacobus, Dei gratia, Rex Aragonum etc. Considerantes quod juxta veritas eloquium in Evangelis recitatum: omne Regnum in se divisum desolabitur, quodque quodlibet Regnum debet esse unitum et indivisum, ut virtus plurium unita sit fortior et validior ad tenendam justitiam, sine qua omnis terra perit et habitatores eius, et plurium etiam viribus conflatis in unum, majori potentia defensio plenius agit ac fulcitur, et publica res adversus hostiles incursus fortificatur uberius et salvatur. Et quod divisio Regnorum Aragonum et Valentie ac Comitatus Barchinonae, que Dei providentia obtinemus, jam praeteritis temporibus a nostris progenitoribus attemptata, nimium paravit et induxit scandalum, volentes super hoc et dignitati regali, et subditorum nostrorum utilitati, ut Regio bene congruit officio, providere et indemnitati prospicere eorundem, per presentis provisionis nostrae paginam perpetuo et inviolabili robore duraturam, ex certa scientia et spontanea voluntate **statuimus, ordinamus atque sancimus quod predicta Regna nostra**



**Aragonum et Valentie ac Comitatus Barchinone cum directo dominio et aliis quibuscumque universis juribus, que ad nos spectant, vel possent ulterius spectare in Regno Majoricarum et insulis ei adjacentibus, et in Comitatibus Rossilionis, Ceritaniae, Confluentis et Vallis Spirii, et in vicecomitatibus Omeledesii et Carladesii, sint et maneant perpetuo unita, et in unum ac sub uno solo eodemque dominio atque domino perseverent, nec aliquod vel aliqua ex eis ab alio vel aliis separentur\***. Ita quod quicumque sit Rex Aragonum, idem etiam sit Rex Regni Valentiae et Comes Barchinone, sic quod nos vel aliquis heres seu successor noster vel nostrorum in testamento vel alia qualibet ultima voluntate aut donatione vel alia ordinatione inter vivos aut aliqua alia dispositione nunquam dividamus seu separemus, nec dividi seu separari faciamus, consentiamus aut permittamus Regna predicta et Comitatum in se aut a se vel etiam inter se, videlicet Regnum Aragonum non dividemus seu separabimus in se nec etiam a Regno Valentie et Comitatu Barchinonae. Nec Regnum Valentie dividemus vel separabimus in se neque etiam a Regno Aragonum et Comitatu Barchinone, neque dictum Comitatum Barchinone dividemus vel separabimus in se neque etiam a dictis Regnis Aragonum et Valentie. Et si quid contra predicta vel aliqua predictorum per nos vel nostros fuerit attemptatum, illud ex nunc decernimus irritum et inane. Declarantes tamen quod nos et ipsi possimus donare seu dimittere castrum vel castra, locum vel loca seu hereditamenta filiis nostris vel ipsorum aut aliis personis ut nobis et eis videbitur, unitate predictorum Regnorum et Comitatus semper stabili et indivisa manente. Et affectantes huiusmodi statutum, ordinationem et sanctionem ac provisionem nostram inconcusse et irrefragabiliter perpetuis temporibus observari, juramus per nos et nostros sollempniter per Deum et Crucem Domini nostril Jesu Christi ac ejus sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, praedicta omnia et singula, ut superius dicta sunt et distincta, tenere, complere et inviolabiter observare et observari facere ac teneri, et nunquam in aliquo contravenire aliquo jure, causa vel ratione. Inhibentes expresse sub interminatione divini iudicii ac divine maledictionis, et nostre heredi nostro universali quicumque pro tempore fuerit et aliis subsequenter successuris in dictis Regnis et Comitatu ut observando incorruptibiliter omnia et singula supradicta contra ea vel aliquid eorum non veniant, faciant vel attemptent, aut fieri consentiant vel permittant dicto verbo vel facto seu alio quovis modo. Et ut omnia predicta et



singula tenacius observentur, statuimus, sancimus et ordinamus quod quilibet heres et successor noster et nostrorum in predictis Regnis et Comitatu, unus post alium successive, tempore sui novi dominii seu nove successionis, vel etiam si antea jurari haberet, antequam praelati, richi homines, mesnaderii, milites, cives et burgenses et homines villarum seu aliqui alii de predictis Regnis et Comitatu sibi faciant seu prestent juramentum fidelitatis, vel sibi in aliquo respondeant et antequam aliquis ex predictis, requisitus expresse vel non requisitus, sibi faciant vel facere teneantur homagium vel aliquam recognitionem ratione feudorum seu qualibet alia ratione, ipse heres vel successor nostri et nostrorum in predictis Regnis et Comitatu, quicumque pro tempore fuerit, per se et suos laudet, confirmet et approbet ac publice juret presens statutum, ordinationem, sanctionem et provisionem nostram. Et usque quo ipsam laudationem, confirmationem et approbationem predictorum omnium et singulorum fecerit et juramentum pro ipsis observandis prestiterit cum publico instrumento, prenominati vel aliqui ex eis non teneantur eis [in] aliquo respondere. Et si per aliquem cuiuscumque conditionis vel status existeret pro predictis vel aliquo predictorum sacramentum fidelitatis vel homagium seu alia quavis obligatio facta esset, antequam predicta, ut est dictum, laudata, approbata et jurata essent per novum quemvis dominum heredem et successorem, ut promittitur, non valeret et per non factis penitus haberentur. Hec autem etiam predictis omnibus et singulis prelati, richis hominibus, mesnaderiis, militibus, civibus, burgensibus, hominibus villarum et aliis quibuslibet subditis nostris dictorum Regnorum et Comitatum presentibus et futuris servanda, tenenda atque complenda imponimus et iniungimus sub debito naturalitatis, et sub fide, homagio et fidelitate ac juramento, quibus nobis astricti existunt. In quorum omnium testimonium ad memoriam sempiternam presens scriptum nostrum fieri mandavimus bullae nostrae plumbeae munimine communitum, de quo quatuor consimilia scribi jussimus, unum tenendum in Archivo nostro, aliud pro universitate Regni Aragonum tenendum per juratos et probos homines Civitatis Caesaraugustae, aliud pro universitate Regni Valentiae tenendum per juratos et probos homines Civitatis Valentiae, et aliud pro universitate Cathalonie tenendum per Consiliarios et probos homines Civitatis Barchinonae. Datum Terraconie, nonodecimo kalendas januarii, anno Domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XIX<sup>o</sup>.



Bernardus de Aversone mandato domini Regis et fuit ei lecta.

[*De otra mano: Vidit G.*]

Signum [*signo*] Jacobi, Dei gratia Regis Aragonum et cetera predicta qui hec firmamus, concedimus et juramus.

Testes sunt qui presentes fuerunt:

[*Primera columna de la izquierda*]

Infans Johannes, domini Regis filius et Cancellarius ac electus Toletanus.

Eximinus, Terrachonensis archiepiscopus.

Berenguer, Vicensis episcopus.

[*Primera columna de la derecha*]

Frater Raimundus de Impuriarum, prior ordinis Hospitalis in Cathalonie.

Frater Poncius, abbas monasterii Populeti.

Frater Bernardus, abbas monasterii de Benifaçano.

Johannes Burgundi, sacrista Maioricarum, consiliarius.

[*Segunda columna de la izquierda*]

Vitalis de Villanova.

Bernardus de Fonollario.

Petrus de Boyl, rationalis magister.

Milites et consilarii.

[*Segunda columna de la derecha*]

Gondissalvus Garcia, miles.

Martinus Luppi de Rueda, miles.



Dalmacius de Pontonibus, iudex Curie.

Et Guillelmus Oulomarii, consiliarii domini Regis.

[*Tachado.*] Fuit clausa per Bernardum de Aversone, notarium domini Regis.

[*Señal que remite al pie del folio 224v, en donde dice.*] Sig [*en blanco*] num mei Bernardi de Aversone, dicti domini Regis notarii, qui de mandato ipisus domini Regis hec scribi feci et clause loco, die et anno prefixis.

[*Siguen las notas de expedición de documentos al pie del fol. 225r.*]

Aliud ex dictis privilegiis fuit traditum Raimundo Ricardi, Alfonso de Serriano, Arnaldo Bernardi et Guillermo Lulli, presentibus in curia, nuncii civitatis Barchinone, decimo kalendas januarii anno predicto.

Aliud fuit missum juratis et probis hominibus civitatis Valentie per Bartholomeum de Fonte, de camera domini Regis, cum litera eis super hoc missa per eundem.

Aliud fuit missum juratis et probis hominibus Civitatis Cesarauguste per fratrem Raimundum de Osca, de ordine minorum in convento Cesarauguste cum litera eis super hoc missa per eundem.

---

\*

(...) establecemos, ordenamos y sancionamos que nuestros predichos reinos de Aragón y Valencia y condado de Barcelona, con el dominio directo y cualesquiera otros derechos que nos correspondan o en adelante puedan correspondernos en el reino de Mallorca e islas adyacentes, y en los condados de Rosellón, Cerdaña, Conflent y Vallespir, y en los vizcondados de Omeladès y Carlat, estén y permanezcan perpetuamente unidos, y se mantengan bajo un único y un solo y mismo dominio, y que nada ni alguna parte de ellos sea separado del resto o de los otros (...)